



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Germanica

Châteillon, Sébastien

[S.l.], 1558

Capvt XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54866](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54866)

& tamen post hunc Orcum conso-  
 latur, et liberatur: et post hoc cœleste  
 regnū, cruciatur, & solatio priuatur.  
 Iam ita euenit homini hic Orcus, et  
 hoc cœleste regnū, vt nesciat, vnde  
 veniat, neq; potest homo quicquam  
 sua ope vel facere, vel omittere, vnde  
 illa vel ei eueniant, vel ab eo disce-  
 dāt. Nec potest homo sibi ipsi quic-  
 quam horum dare, aut adimere, con-  
 ciliare, aut deconciliare. Quin acci-  
 dit hīc, quemadmodū scriptū est:  
 Spiritus, vbi vult, spirat, & tu eius vo-  
 cem audis: (videlicet, dūm præsens  
 est, sed nescis vnde veniat, aut quò a-  
 beat. Et cū homo in alterutro est,  
 bene cum eo agitur, potestq; in Or-  
 co tam tutò esse, quàm in cœle-  
 sti regno. Ac quamdiu homo est in  
 hac vita, potest sæpissimè ex vno in  
 alterum transire: & quidem intra  
 diem & noctem interdum sæpius,  
 idq; absque seipso. At cū homo in  
 neutro horum est, cū creaturis rem  
 habet, & vltro citroque nutat, neq;  
 scit, quò se vertat. Itaque nunquam  
 debet hæc duo animo obliuisci.

10.3.60

## CAPVT XII.

B 4

Dicunt

*De vera pace.* **D**ICUNT multi, se non habere pacem aut quietem: sed multis rebus aduersis, calamitatibus, angoribus, doloribus, cōflictari. Si hoc pacto rei veritatem considerare atq; animaduertere velis, haberet etiam diabolus pacem, si res pro eius voluntate atq; arbitrio haberent. Hanc ob causam perpendēda atq; animaduertenda nobis est pax, quam Christus suis discipulis ad extremum reliquit, vbi ait Pacem meā relinquo vobis, pacem meam do vobis: non qualem dat mundus, nam mundus suis donis decipit. Quā verò pacem intelligit Christus? Interiorē videlicet quæ per omnes calamitates, res aduersas, angustias, miserias, & infamias, aut si quid simile est, perrumpit atq; penetrat. Ita vt in ea sit homo lætus & patiēs, quemadmodum eius chari discipuli fuerunt: nec illi solū, sed & omnes electi amici Dei & veri imitatores Christi. Hoc igitur tibi persuade: Si quis amorem, diligentiam, studium ad hoc conferret, is posset veram æternamq; pacem, qui Deus est, quantum creature est possibile, satis cognoscere.

Dicit

Dicit Taulerus: Sunt quidam in hac vita, qui imaginibus nimis cito valedicunt, antequam eos veritas ab ijs liberauerit. Et quia ipsi seipfos liberant, ideo vix, aut ne vix quidem, ad veritatē possunt peruenire. Propterea debet semper diligenter animaduerti opus Dei, eiusq; præceptio impulsus, & admonitio: non hominis opus, præceptio, & admonitio.

Iam sciendum est, neminem illuminari posse, nisi prius sit purgatus, mundatus, atq; liberatus. Et porro neminem cum Deo vniri posse, nisi prius illuminetur: itaq; sunt tres vię: prima est purgatio, altera illuminatio, tertia vnio.

## CAPVT XIII.

Quicquid in Adamo interiit atque mortuum est, id in Christo resurrexit et reuixit. Quicquid in Adamo resurrexit & reuixit, id in Christo interiit & mortuum est. Quid verò est id? Dico esse veram obedientiam, & inobedientiam. Quid est autem vera obedientia? Dico hoc esse: Debet homo vsque adeò planè sine seipso, & suis, hoc est sine ipsitate,

*Tauler-  
rus.*

*Ad pa-  
cem gra-  
dus tres.*

*Adamē  
lapsus, et  
Christi  
correctio  
Ro. 5. d.  
Obedien-  
tia quid  
sit.*

B 5 &